



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Nicasius Archiep. 14. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. NICASIVS Archiep.

14. Decemb.

*Populus hic labiis me honorat: cor
autem eorum longè est à me.*

Christus Matth. cap 5.

Quidni animos etiam tu Lector ad pugnam sumis, toties qui sanguinem Martyrum vides? Hic Nicasii Rhemensis Pont. & sororis ejusdem Germanæ Eutropiæ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flagellabat Gallias Dux barbarus, jamque Rhemensibus etiam malum minabatur, cum Cives ad Asylon suum Nicasium confugerunt. Ille exitium Urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoq; exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suasit: neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ huc usq; ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus Eutropia stipante obviam hosti ad D. Virginis progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cum

Bb 2

formæ

formæ milles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos Carnificis involat mortemque invitam in se armat. Interea contra barbaros cælum movit, cujus copiæ visæ, simul iratæ è templo voces in fugam illos coniecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terra tegerentur, splendore olim his ipsis certatura.

Ex Surio.

MEDITATIO.

De oratione vocali.

1. **O** Ratio, quæ voce exprimitur, ita Deo placet, ut ipse Dei filius eam Apostolos suos docuerit: *scilicet*, ait, *orabitis: Pater noster, &c.* Oratio vocalis utilis est incipientibus, progredientibus, & perfectis. Quasnam pro more fundis vocales preces? habe tibi pensum aliquod orationum, quod quotidie fideliter expleas.

2. Olim dixit Deus per Prophetam Isaiam, *populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longè est à me.* Nonne in te cadunt hæc verba? S. Augustinus lacrymas tenere non poterat, si quando Psalmorum cantus audiret. Tu verò, quo pietatis sensu afficeris, cum vel audis, vel recitas horarias preces? Memineris, Deum eos non audire, qui arcanas ejus voces non audiunt. *Quæ ratio est, cur doleamus; nos non audiri à Deo cum ipsi Deum non audiamus.* Salyjan.

3 Non

3. Non placent Deo longiores preces peregrinanti animo, & volucris linguâ deproperatæ. Satius est, vel unicam orationem Dominicam attentè recitare, quam effundere copiosum orationum flumen. Meditare singula verba, sacræ hujus orationis, quam Christus ipse composuit. Me felicem! qui quolibet tempore, & loco cum Deo loqui possim. Ah! pudet me, toties Deum orare sine reverentia, sine attentione. Quomodo erit Deus in medio tui, sit tecum, ipse non fuerit? ubi deest ille, qui poscit, quomodo aderit, qui poscitur? Euf.

S. CHRISTIANA AN-
CILLA IBERA.

15. Decemb.

*Gratias agentes semper pro omnibus,
in nomine Domini nostri JESU
Christi, Deo Patri. Paul. ad Eph. c. 5.*

Hujus quoque Nomen nescimus, credo, quia virtus supra coelos hos evexit. Illud satis constat, vixisse cum rerum Constantinus potiretur, & iberis servitutem serviisse; cæterum præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hac Serua Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ Matronæ gravi morbo afflictum precibus ad Deum fufis valetudini restitue-

Bb 3

stitue-